

Universitätsbibliothek Wuppertal

Omnia Divini Platonis Opera

Plato

Venetiis, M.D.LVI

Theages, vel, de sapientia

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-254](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-254)

THEAGES, VEL,
DE SAPIENTIA.
MARSILII FICINI
ARGUMENT.

DISTINGUITUR in hoc dialogo Sapiaentia, & vltimum distinctionis membrum sic inuestigandum assignatur, vt quo pacto acquiratur ab hominibus, pateat. Prima partitione Sapiaentia duplex dicitur. Vna absoluta, conditionalis altera. Absoluta, quae simpliciter absque additione aliqua sapiaentia nominatur. Conditionalis, quae non simpliciter sapiaentia, sed sapiaentia quaedam dicta est. Illa sic definitur: Cognitio earum rerum de quibus haberi scientia potest. Habetur autem scientia de ijs quae semper eadem, & eodem modo sunt: huiusmodi sunt summa rerum principia, et aeternae rerum omnium rationes: haec autem diuina dicuntur, quo fit, ut sapiaentia sit diuinarum rerum scientia: quae quidem absoluta sapiaentia est. Conditionalis uero, omnibus artibus & facultatibus est communis. Nam summa cuiusque artis sapiaentia quaedam vocatur, vt sapiaentia gubernatoria, sapiaentia aurigaria, sapiaentia militaris. Ex omnibus autem quae cum additione sapiaentiae nuncupantur, praecipua est, quae ceteris vt ministris videtur, cuiusmodi ciuili sapiaentia est. Quae quidem facultas communis ne ciuitatis & gentium bonum coniectans, definitur. Haec tum ciuili, tum etiam regia disciplina vocatur. Cuius subiectum, ciuitas est: finis, commune bonum: ministriae, artes omnes. Officia duo, leges condere, & conditas exequi. Illud per prudentiam nomotheticam, hoc per iustitiam legalem & iudicariam agit. Verum quo pacto quis ciuilem sapiaentiam nanciscatur, in plurimis eius disputationibus Plato dubitat: & in praesenti Theage, vtum ciuiles homines, an sophistae, an contemplatiui duntaxat philosophi eam doceant. Quod a ciuilibus uiris, aut sophistis, aut soli contemplationi deditis discatur, in Menone, & hic quodammodo negat, quod illi ne filios quidem suos inquam docuerint, quod isti rationem boni non habeant, quod hi rerum humanarum experti minime sint. Restat igitur, vt haec aut a philosophis, & contemplandi, & agendi apprimis peritiss percipiatur, aut diuina sorte contingat. Alii nusquam reperiuntur. Vnde in Menone, & in Theage diuino munere fieri asserit, vt in animos ciuium temperatos Dei prouidentia boni ipsius intelligentiam, & leges ad id ducentes infundat. Quam sane notionem hic ciuilem sapiaentiam, in Menone pro priori vocabulo rationum quoddam nominat, ciuilesque viros sapientibus comparat. Saepem etiam ait, nunquam a malis genus hominum cessaturum, nisi aut legitimi philosophi dicerentur, aut ij qui gubernant rempublicam, diuina quaedam sorte philosophentur. Hoc autem libro cum Socrates in sua membra sapiaentiam distinxisset, & hanc ciuilem sapiaentiam, sub quadam ironia specie, nec a ciuilibus uiris, nec a se, vt a philosopho contemplationi dedito Theagem adipsi posse dixisset, subiunxit, tentandam esse vim daemone, & denique uoluntatem Dei precibus exorandam, quae illi ista discantur, & Dei prouidentia per medios spiritus, saepe hominibus agendorum oracula pandat. Eos autem ministros, qui Dei iussu bonorum ciuium & legitimum principum mentes ad bene gubernandum illuminant, Dionysius Areopagita Principatus nominat. Eset hic fortasse de Demone Socratis disputandum, sed argumenti breuitas prohibet. Quinetiam Maximus Tyrius, & Hermias, & Apuleius de hoc absurde differuerunt. Inducit autem hic tres Plato personas. Demodocum ciuem Atheniensem una cum filio suo Theage sapiaentiam affectante, & Socratem. Incipit uero a Demodoci petitione dialogus.

Occasio dialogi est oratio Demodoci: i quo dialogo, vt nomen habetur sapientia, ita non stratur per alia studia quae non est, ita vt non quae sit, sed quae non sit declaretur.

DEMODOCVS. SOCRATES.
THEAGES.



PVVS HABEBAM o Socrates, quaedam priuatim tecum communicare, si quidem otium sit, vel etiam negotium, modo non omnino magnum: Vel enim mea causa otium agas. SOCRAT. Equidem otiosus & alioqui sum, sed tui causa maxime. Si quid ergo dicere nis, licet.

DEMODOCVS. Vin' secedamus hinc in proximam Iouis liberatoris porticum? SOCR. Vt lubet. DEMODOCVS. Eamus ergo, o Socrates. Omnes quidem planta eodem se modo habere videntur, & quae a terra nascuntur, animaliaque omnia, & homines denique ipsi. Vt enim in plantis facilimum hoc nobis est qui terram colimus, preparare quidem omnia antequam plantemus, & ipsa etiam plantatio; postquam uero quod plantatum est, uiuit: tunc cultus ipsius uariis est & difficilis: sic & in hominibus uidetur. Ex meis. n. rebus cetera conyicio. Et enim haec mihi mei filij siue plantatio, seu generatio appellanda sit, omnium facilima extitit: educatio autem difficilis, & plena timoris semper, maximum metum ipsius causa subeunti fuit. Et alia quidem multa de hoc dici possent: praecipue uero cupiditas, quae huic nuc inest, uehementer me sollicitat. Est. n. non ingenerosa, Verum talis, vt fallere possit. Cupit. n. o Socrates, ut ipse ait, sapiens effici. Et ut mihi uidetur, populares quidem eius aequales in urbem uenientes sermonibus suis hunc uehementer incitauerunt, quos amulari coepit, & mihi iam pridem molestus est, uoles, vt eius curam suscipiam, ac pecuniam sophistae alicui, qui ipsum sapientem reddat, persoluam. Mihi uero pecuniarum minor est cura: uerum hunc existimo ob hoc eius studium in periculum non mediocre incursum. Haecenus igitur huic obstiti, consolando: sed ubi diutius nequeo, operae precium fore duxi, ut ei obtemperem, ne sine me frequenter, cum alijs uiuens corrumpatur. Nunc autem ad hoc proficiscor, ut eum apud aliquem sophistarum sistam. Tu igitur peropportune nobis obuiam factus es, quem quidem hac in re mihi consultorem maxime cupiebam. Itaque siquid habes, quod mihi in ijs quae audiisti, consulere queas, licet & expedit.

SOCR. Ceterum, o Demodoco, consilium res sacra est: & si inquam ullum aliud, hoc est in primis de quo quae ris. Non est enim diuinus aliquid, quo de quis consulere queat, quam de institutione sui atque suorum. Primum igitur conueniamus, quidnam hoc esse putemus, quo de consultamus, ne saepenumero, ego quidem aliud illud existimem, tu item aliud, ac deinde longe dissentiamus: ridiculi quidem existentes ambo, & ego qui do, et tu qui postulas consilium, cum nihil dum consenserimus.

DEMODOCVS. Recte quidem mihi dicere uideris, o Socrates. Itaque faciendum censeo. SOCR. Recte, inquam, non omnino tamen recte: nam paulisper id muto: dubito enim ne forte hic adolescentulus, alia quaedam quam quae nos rebamur, cupiat: quod si alia, nos quoque absurdus faciamus de alio consultantes. Rectissimum igitur mihi uidetur, ut initium hinc sumentes, ipsum quid maxime instituat, rogemus. DEMODOCVS. Optimum apparet. SOCR. Dic igitur mihi, quod pulchrum nomen est puero? quo nomine ipsum uocabimus? DEMODOCVS. Theages, o Socrates. SOCR. Pulchrum, o Demodoco filio nomen imposuisti. Sed tu dic mihi Theages, cupisne sapiens esse? ac dignu existimas esse, ut pater hic tuus uiru inueniat, qui te sua consuetudine sapientem reddat? THEA. Cupio. SOCR. Sapientes aut utrum uocas hoies scientiam habentes, quacumque illa sint quae scierint, necne? THEA. Scietes equidem. SOCR. Quid igitur, nonne te pater edocuit, quae hic nobiliu uirorum filij docentur? scilicet literas, eitharam pulsare, palastram, & alia certamina?

Prouerb.

Quid praeuenire oportet eos qui de re consultare uolunt.

Pulchra nomina imponenda pueris.

THE. Docuit SOC. Putas prater ea te aliqua scientia indigere, de qua curam suscipere tui causa patrem deceat? THE. Puto. SOC. Quae est igitur ipsa? dic nobis, ut tibi gratificemur. THE. Nouit & hic, o Socrates, quoniam persape illi narraui, sed de industria haec nunc tecum loquitur, quasi nesciat qua cupiam: hoc enim modo & in alijs multis mecum pugnat, neque uult alicui me trade re. SOC. Atqui quae haecenus aduersus hunc abs te dicta sunt, testibus carent: nunc autem me adhibe testem, atq; coram me denuo recense. Quae nam est haec sapientia, quam appetitis? Age si cuperes eam qua hoies nauigra gubernant, & ego te rogare, quanam, o Theages, sapientia indiges, patri succenses, quod te his, a quibus sapientia reddi potes, non tradat, quamnam esse responderes? nonne gubernatoriam? THEA. Certè. SOC. Sin autem illius cuperes eruditum te fieri, qua currus reguntur, ac patri succenses, ego uero roge, quae nam ea esset, nonne aurigariam respondeas? THEA. Vtiq;. SOC. Quam igitur nunc cupis? Vtrum illam quidem nosti, nomen autem ignoras? Vel nomen et tenes? THE. Etiam nomen. SOC. Dic ergo quid est. THE. Quod aliud nomen huic congruere dicas, o Socrates, quam sapientia? SOC. Nonne et aurigaria, sapientia est? An ignorantia tibi uidetur? THEA. Nullo modo. SOC. An non sapientia? THE. Sapientia. SOC. Qua ad quid utimur? num qua scimus equorum iuga regere? THEA. Profecto. SOC. At gubernatoria, nonne & ipsa sapientia est? THE. Mihi quidem uidetur. SOC. Num & ea est, qua naues gubernamus? THEA. Ea utique. SOC. Ea uero quam nunc optas, quae nam sapientia est? qui due ea ministrat? THEA. Mihi quidem uidetur ea, qua scimus hominibus imperare. SOC. Num qua egrotantibus? THEA. Minime. SOC. Ipsa enim medicina est, nonne? THEA. Est. SOC. At qua canentibus scimus in choris praesse? THEA. Nequaquam. SOC. Musica. n. est. THEA. Ita. SOC. Sed utrum qua certantibus praesse? THEA. Nequaquam. SOC. Gymnastica. n. est. THEA. Est. SOC. Verum qua quid facientibus, conare exprimere sic, quemadmodum superiora ego. THE. Mihi plane uidetur ea, qua his qui sunt in ciuitate. SOC. Nonne in ciuitate egroti etiam sunt? THE. Sunt quidem, sed non istis solum dico, Verum omnibus qui in ciuitate uersantur. SOC. Intellego quam artem dicis. Videris enim non eam qua praesse nouimus metentibus, aut vindemiantibus, aut plantantibus, aut serentibus, aut trituantibus: ipsa enim per quam ijs imperamus, agricultura est. THEA. Est. SOC. Neque rursus qua vel secantibus, uel perforantibus, uel polientibus, uel torno aliquid facientibus: nam haec ad fabros pertinet. THEA. Certè. SOC. Verum fortasse qua ijs uniuersis, et agricolis, & fabris, & artificibus omnibus, ac priuatis cunctis mulieribusq; et uiris imperamus, eam tu sapientiam dicis. THE. Istam ipsam, o Socrates, iam pridem dicere uolebam. SOC. Potè sine dicere, an Aegisthus qui Agamemnonem apud Argos interfecit, his omnibus imperauit, quos dixisti, artificibus, priuatis, uiris mulieribusq; uniuersis, an alijs quibusdam? THE. Non alijs, sed ijs omnibus. SOC. Quid autem Peleus Aeaci filius in Phthia, nonne iisdem dominatus est? THE. Eisdem. SOC. Periantrum uero Cypseli, nonne audiisti apud

Corinthios imperasse? THE. Equidem. SOC. Nonne eisdem in ciuitate sua dominatus est? THE. Certè. SOC. Quid uero Archelaum Perdicca nuper in Macedonia imperantem, num iisdem existimas dominatum? THE. Equidem. SOC. Hippium autem Pistirati in hac urbe dominantem, quibusnam praefuisse arbitraris? nonne iisdem? THE. Quidni? SOC. Bacis uero, & Sibylla, et nostras Amphilytus, quoniam pacto tibi cognominandi uiderentur? THE. Non alio, quam uatum nomine. SOC. Rectè dicis, eodem modo conare, ut inuenias quo cognomine Hippium & Periantrum propter eundem principatum nomines. THE. Qui uocem, quam tyrannos? SOC. Ergo quicumque cupit more istorum uniuersis suis ciuibus imperare, tyrannidem appetit, & esse tyrannus studet? THE. Ita uidetur. SOC. Hanc tu optas? THE. Vide tur ex ijs quae dixi. SOC. Scelestè, more tyranni nobis praesse cupis? Ac iandudum succenses patri, qui te ad aliquem tyrannidis praectorem non mittit? Et te Demodoce non pudet, qui dudum noris quid hic concupiscat? & si habuisses quò ipsum mitteres, artificem sapientiae illius, quam petit, fecisses? post adesses, cupiuissesq; nūquam missum? sed nunc uides. Cum uero te coram accusauerit, consultemus simul ego & tu, estne quò mittamus, ut alicuius consuetudine sapiens tyrannus efficiatur? DEMOD. Per Iouem, o Socrates, consultemus. Est enim, ut mihi uidetur, consilio opus, et maximo. SOC. Sine, bone uir, interrogemus ipsum prius. DEMOD. Interroga. SOC. Quid si Euripide ad aliquid utamur, o Theages? Inquit enim ille, Sapiunt tyranni sapientum consuetudine. Si quis Euripidem roget, qua in re sapientum consuetudine ais sapere tyrannos? quemadmodum si cum dixisset, sapientes agricolae sunt sapientum consuetudine, percontaremur, quanam in re sapientum, quid putas ipsum dicturum? an aliud, quam in re rustica? THE. Nihil aliud. SOC. Eodem modo si dixisset, sapientes coci sapientum consuetudine, nosq; roga remus, quanam in re sapientum, quid aliud responderet, quam coquinaria? THE. Idipsum. SOC. Quid si dixisset, sapientes athletae sapientum consuetudine, & nos in quo sapientum interrogemus, nonne certando responderet? THEA. Imò. SOC. Et quia dixit, Sapientes tyranni sapientum consuetudine, si roga remus illū, qua in re, o Euripides sapientū, quid cum respondurum putas? THE. Per Iouem nescio. SOC. Vis tibi dicā? THEA. Ut lubet. SOC. Haec sunt quae ait Anacreo ipsam Callicretē nosse. Audiisti carmē? THEA. Audiui. SOC. Quid igitur huiusmodi ne uiri consuetudinem cupis, qui eam artem teneat, quae tenebat Callicretes Cyane nata, quig; sciret tyrannica quae Callicretē nosse poeta inquit, ut et in nos, et ciuitatem tyrannidem exerceas? THE. Iandudum me mor des Socrates, atq; irrides. SOC. Quamobrem? nonne ais hanc te sapientiam optare, qua cunctis imperes? Atqui haec faciens aliudne, quam tyrannus sis? THE. Optare quidem, uel oīum horum, uel quamplurimorum tyrannide potiri, quod idem de te ac ceteris oībus persuadeo mihi, aut etiam Deus esse. Verūtamen non hoc appetere dicebam. SOC. Quid tandem est hoc quod cupis? nonne ciuibus praesse? THEA. Non ui quidem, neque ut tyranni: sed uolentibus, quemadmodum alij in ciuitate rationis compotes homines. SOC. Dicis ergo qualis

Hic conceditur sapientia conditio nalis q̄ mul tisariā habetur. Et si sapientia nomen habeat illa, quae proprie & simpliciter est sapientia, ab ijs quae non proprie sunt sequestrata, monstrat.

Themistocles fuit, & Pericles, & Cimo, & quicumque alij in administratione reipublice floruerunt? THE. Per Iouem istos inquam. SOC. Quid uero si nobilis eques esse studeas, & in ea arte sapiens, ad quosnam alios accederes, quam ad equites? THE. Ad nullos alios. SOC. Quippe ad hos ipsos qui equestri arte pollet, & qui equis tum nostratibus, tum alienis quamplurimis utuntur. THE. Scilicet. SOC. Eodem modo si sapienter iaculandi artem adipisci cupias, ad eos qui optime iaculantur, & qui multis tam alienis, quam proprijs utuntur speculis proficisceris. THE. At tibi quidem uidetur. SOC. Age itaque postquam in ciuilibus erudiri uis, ut in ijs sapiens fias, ad alios accedendum putas, quam ad hos ciuiles hoies, qui disciplina ciuili summopere ualent, & utuntur ea, tum patria, tum aliarum ciuitatum & Graecarum & Barbararum? An putas ab alijs sapientiam earum reru posse consequi, quas isti soli norunt? THE. Audiui Socrates sermones quosdam, quos tuos asserunt, ciuiliu uirorum liberos nihilo meliores, quam cerdonu esse. Et mea quidem sententia uera dicis. In sapiens ergo sim ego, qui de illorum numero esse possum, si mihi persuadeam, aliquem istorum suam mihi sapientiam traditurum, qui quidem suos filios ipsorum minime iuuent, putemque uel mihi, uel ulli mortaliu ad hanc rem posse prodesse. SOC. Quid tu igitur optime hominum agas, si cum tibi filius esset, huiusmodi negocia exhiberet, ostendens cupere in optimum pictorem euadere, succenseatque tibi quod nullam in se pecuniam eius gratia collocares, sed ipsos pingendi artifices parui penderet, neque ab eis aliquid uellet discere, tibicines item tibicen effici uolens, uel etiam citharcedos, habes quod cum eo agas, uel quod tandem illum mitteres, nolentem ab ijs discere? THE. Minime profecto habeo. SOC. Nunc igitur eadem hac faciens, miraris atque succenses patri, cum dubitat quid tecum agat, & quo te mittat, quem Atheniensium in administranda reipublica praestantissimorum cuicumque uoluisses commendaturi eramus, qui tecum sine precio uersatus fuisset: simulque & sumptibus pepercisses, & ab huiusmodi consuetudine plus nominis quasiuisses, quam omnium ceterorum. THE. Quid igitur Socrates, nonne tu ex bonis uiris es? Si me susceperis, sat habeo, neque alium quero. SOC. Quid hoc dicis? DEMOD. Non male dicit, o Socrates, neque mihi quicquam hoc incundius uiliumque, ut arbitror, esse posset, quam si huic tua consuetudo placeat, & si tu cum eo uersari uelis: & profecto pudore impediore dicere, quam uehementer affectem. Itaque ambos uos rogatos uelim, & te ut uelis hunc suscipere, & te ne alium, quam Socratem queras, meque maximis curis, & formidine plenis obsecro liberetis, quoniam nunc uehementer timeo, ne hic cuiuspiam alterius consuetudinem quarat a quo deinde perdatur. THE. Ne ulterius mihi timeas, mi pater, si huic persuadere potes, ut me suscipiat. DEMOD. Recte loqueris, & ad te, o Socrates, omnis posthac oratio conuertetur. Ego enim ut breuissime loquar, me simul ac mea omnia uel charissima quocumque indigeas tibi libentissime trado, si hunc Theage susceperis, eique pro uirili tua bene feceris. SOC. Equidem, o Demodoce, studium hoc tuum non admiror, si quidem existimas maxime a me hunc iuari posse. Non enim

Video ubi maiore diligentia opus sit, si quis mentem modo habet, quam ut filium optimum reddat. Sed unde tibi hoc ita uisum est, me uidelicet tuum filium meliorem posse ciuem reddere, quam tute possis? Atque unde hic sibi persuasit posse magis a me, quam abs te ad hanc re iuari? Ad enim uehementer admiror? tu enim primum me senior es, deinde multis ac maximis apud Athenienses functus es magistratibus, neque te magis quisquam a popularibus Anagyrus ac reliquis ciuibus honoratur. In me autem horum quicquam neuter uestru uidet. Verum si ciuiliu uirorum consuetudines Theages iste contemnit, aliosque querit qui instruere iuuentam profiteatur, est hic Prodicus Chius, & Gorgias Leontinus, & Polus Agrigentinus, alijque permulti, qui adeo sapientes sunt, ut cum urbes aduent, nobilissimos & ditissimos alluciant ad se iuuenes: quibus cum uel optimorum quoruncumque familiaritate gratis uti liceret, eorum assuetudine relicta, persuasi ad illos conferunt se, pretium, atque id ingens offerentes ultro, & gratiam insuper maximam habentes. Ex his ergo decebat te ac filium tuum aliquem eligere, me uero ad id elegisse non conuenit. Nullam enim ex istis beatissis & pulchris disciplinis profiteor, uelim tamen mihi illas esse notas. Verum semper nihil scire me dico praeter exiguam quandam amandi disciplinam, qua uulgo uehementior, tum superioribus, tum etiam praesentibus uiris esse uideo. THE. Videtne pater Socratem hunc non admodum familiaritatem meam recipere? Nam quod ad me attinet, paratus eram, modo ipse uoluisset: sed haec omnia ille ioco aduersus nos dicit. Noui enim meorum equalium, & aliquanto seniorum nonnullos, qui cum antea nullius essent aestimationis, postquam familiaritate istius uisi sunt, breui omnium supremi corum euaserunt, quorum infimi prius erant. SOC. Nosti quale hoc sit, o Demodoce fili? THE. Noui per Iouem: si uoles enim, talis fiam, quales illi fuerunt. SOC. Non ita, o optime, sed hoc te sefellit, quale sit: ego autem tibi dicam. Adest mihi diuina quadam sorte demonium quoddam a prima pueritia me secutum: hoc enim uox est quaedam, qua cum sit, semper eius rei, quam facturum sum, dissuasionem innuit, prouocat uero nunquam. Quod si quis amicorum mecum quandoque aliquid communicat, uenitque uox, hoc illa dissuadet, neque facere sinit. Cuius quidem rei uobis testes dabo. Charmidem uirum bonum Glauconis filium noscitis, hic aliquando in Nemea stadio se exercitaturus mecum communicabat. Ac statim ubi dicere inciperet quod se exercitaturus esset, affuit uox: ego prohibui, edicens quemadmodum demonij uox extiterat, ne se exerceret. Ille uero, fortasse, inquit, significat me uictorem non euasurum, & si uictoria non potiar, tamen me exercens, aliquid proficiam interim puto. Atque ita locutus, in certamen abiit. Operis precium igitur est audire quid ei ex eo certamine contigerit. Iam si uultis & Clitomachum Timarchi fratrem rogare quid ei Timarchus dixerit, cum iam moriturus esset: is enim & Euarblus quidam cursor, qui illum fugientem suscepit, referet uobis quid ille tunc dixerit. THE. Quidnam? o Clitomache, inquit, equidem quamprimum moriturus uenio, quoniam Socrati obtemperare nolui, hoc quid ita dixerit Timarchus, ego exponam. Cum enim

Nulli rei maior diligentia adhibenda, quam filio iusti tuendo.

Munus philosopharum.

Demon Socratis.

enim

enim surrexissent ex conuiuio Timarchus, & Philemon Philemonidis filius, interfecturi Niciam Hircasiamadri filium, soli enim insidiarum y conscij fuerant: hic Timarchus, Quid ais, o Socrates, inquit, Vos quide bibite, me vero oportet alio ire, redibo aut paulo post, si occasio erit. Tum mihi aderat vox. Itaq; ne surgas inquam, solitum mihi a demone signum datum ferens. Quienit ille. Deinde paulisper comoratus ardebat iteru eundi cupiditate, dicens, eo iam Socrates. Et quia iterum uocem audiui, rursus illum cohibui, donec ille tertio latere me cupiens clanculum, cu ego mente alio aduertissem, se subripuit: & sic profectus ea patrauit, qua mortis ei causa fuerut. Hac eadem ille fratri, quemadmodu nunc ego uobis, dixit, se scilicet moriturus venire, quod mihi credere nolisset. Audietis praterea ab his qui in Sicilia sunt, q de exercitus conflictu praxidera. Et pterita quidem ab his qui illa nouerunt, audire licet. Experiri uero demonij signu siquid forte dicat, et nunc possumus. In expeditione nang, exijt Neonus Cali filius. Mihi aut signum adfuit, proficiscitur uero nunc cu Thrasylo aduersus Ephe sum & Ioniam militaturus. Ego aut illum existimo, uel interfectum iri, uel hmoi aliquid incursum, & de reliquo negocio uehementer metuo. Hac oia ideo tibi dico, quia potestas ois ad familiaritates cu his qui mecum sunt instituendas penes demonium est. Multis. n. aduersatur, neq; licet his auxiliu ferre, qui mecu inuito demone conuersantur: quare impossibile est mihi, cum his uiuere. Multis aut herere non prohibet, sed cosuetudine nostra nihil oino inuuantur. Quibus aut fauerit in ipsa familiaritate potestas demonij, illi sunt de quibus illud aduertisti, breui enim proficiunt. Sed eoru partim hoc beneficium firmum habent atq; durabile, pleriq; uero quo ad mecu sunt, mirifice pollent: at ubi discesserint, rursus nihil a ceteris differunt. Hoc quandoq; accidit Aristidi Lysimachi filio, eius qui filius fuit Aristidis. Nam mecum comorans, breui multu profecit: postea uero in militiam profectus est, rediens deinde offendit apud me agem Thucydide Melisi filiu: hic aut Thucydides praxie mihi inter disputandu nescio qua de re obiecerat. Cum me salutasset, & quadam insuper collocutus esset Aristides, Thucydidem, inquit, o Socrates, audio gloriari, & in quibusda tecu et concertare, tanqua aliquid sit. Est inqua, ut dicis. Tu ille, non meminit, inquit, antequa tibi adhereret, quale fuerit mancipiu? No uidetur inqua per deos. At ego, inquit ille, ridiculus sum. Quidna maxime inqua? Quoniam priusqua hinc abirem, cu quouis disputare audeba, neq; aliquo uidebar in differendo deterior, adeo ut coetus praxantium uiroru audacter adire. Nunc aut contra, fugio quemcunq; eruditum esse intellexi, adeo pudore abducor ob inscitia. Vtru igitur inqua enestigio te reliquit illa vis, an paulatim? Paulatim, inquit. Quando uero in te incesit, ueru accidit tibi aliquid a me disceri, an aliter? Dica, o Socrates, re quidem incredibilem, uera tamen. Nihil unqua a te, ut ipse scis, didici, proficieba aut quotiescunq; tecu essem, & si in eadem solum domo essem, non tamen in eadem parte domus, magis tamen quoties eadem in parte. Et mihi quidem uidebar multo magis, quando in eade parte existens, aliquid te dicentem intuebar, quam cu alio essem auersus. Sed logo magis proficiebam, cu apud

te sedens, te tangebam. Nunc autem omnis habitus ille defluxit. Est igitur, o Theages, huiusmodi nostra consuetudo. Si enim Deo gratum est, permultum quidem & breui proficies: sin contra, minime. Vide igitur ne tibi tutius sit ab aliquo illorum erudiri, quibus in sua potestate sita est ueritas qua ceteris profunt, quam a me fortuna quadam id assequi. THE. Mihi quidem sic faciendum, Socrates, uidetur, ut consuetudine nostra de demonio intelligamus. Quod si nobis annuerit, recte omnia: sin minus, quid agendum sit consultabimus tu, alteri ne cuius adhareamus, an hoc diuinu quod tibi instum est, precibus & sacrificijs & alio quouis deniq; pacto, quo uates iubet, placemus. DEMOD. Nihil ad haec, o Socrates, huic adolescenti repugnes, bene. n. dicit Theages. soc. Atqui si uidetur oportere sic agere, sic agamus.

MENO, VEL,
DE VIRTUTE.
MARSILII FICINI
ARGUMENT.

QUATTUOR esse argumentationum genera, quibus Platonis uirtus, exemplum, inductionem, ratiocinationem, & enthymema, & quo pacto fiant, satis in Alcinoi compendio, quod & nos traduximus, declaratur. Vbi etiam tres Platoniorum dialogorum species inuenimus, & quibus argumentationibus in una quaque dialogi specie uti soleat. Aut enim solum inquirat, falsane consutat dialogus, aut solum uera exponit ac docet, aut in utroque uersatur. Primus inquisitiuus & contentiosus, Expositiuus alter, Postremus mixtus est dictus. Meno autem licet mixtus sit, maiori tamen ex parte contendit & consutat, & omnes argumentationes attingit. Ut nisi qui ex alijs Platonis dialogis, qui ad expositionem magis, quam ad disceptationem pertinent, sensa colligat, & Meno mihi adiciat, difficile summam disputationis huius elicere possit. Est autem haec, quid uirtus sit, & quomodo nobis adsit, inquirere. Id Socrates efficit, dum quatuor Menonis, Aristippi, Gorgiae, & Prodicij de uirtute definitiones consutat, & definitionem suam post illas inductam geminis obiectionibus retractat. Veritas quippe ex redargutione falsitatis elucet. Est autem hominis uirtus affectio, siue habitus animae, quo potentia naturalis eius, quam optime suum opus exercet. quae definitio in libris de Republica traditur. Opus cuiusque potentiae tunc optime exercetur, cum ad finem suum dirigitur. Quod ad finem confert, uile dicitur. Merito igitur in hac disputatione, commune uirtutis officium id esse traditur, ut & actio nes & ea quibus agendo uimur, uilia reddat. Illa itaque definitio huic dialogo consonat, cunctisq; uirtutibus est communis. Uirtutum profecto species plures sunt, pro uirium animae & actuum diuersitate, in quibus una tamen quae dicta est communis uirtutis ratio semper inspicitur. Prima uis animae mens est, cuius actus est perpetua contemplatio ueritatis. Secunda ratio, cuius actus ueritatis inuestigatio. Tertia phantasia, cuius actus collectio eorum q sensus eius nuncij porrigunt: perq; illa discursus. Atque haec sunt uires animae, quae cognituae dicuntur. Restant tres aliae, quas appetitiuas uocant: Voluntas, & irascendi uis, & concupiscendi, Voluntatis actus, appetere quae mens & ratio porrigit. Irascibilis, aggredi quae ratio & phantasia proponit. Concupiscibilis actus, adfiscere quae phantasia sensusq; obijciunt, sex insuper istis duae subiunguntur, mouendi & nutriendi uigor: sed haec cum superioribus, aut nihil, aut uix, & parum admodum in uirtute communicant. Affectio mentis quae contemplationem perficit, sapientia est, quae rationis indaginem, scientia atque prudentia. Scientia quidem indagacionem eorum quae natura facit, prudentia consultationem in ijs quae nos agimus. Quae phantasia discursum opinio recta, quam sagacitat in quidam uocant. Instituta uoluntatem & liberalitates. Irascibilem fortitudo eiusq; pedisequae. Concupiscibilem continentia simul & temperantia. His omnibus i. commune, ut quae habet earum sit: affectio actum potentiae naturalis perficiens, dum decorum reddat, & utile ad finem ultimum consequendum. Varias uero uirtutes diuerso modo habentur. Sapientia quidem natura, est enim eter-

Triu dialo- gi officia.

Vires aie cognituae.

Vires appe titiuae.

Vigores duo.